



Vartislaus filius fuit Suantipolci principis Pomeranorum. Erat is multis uirtutibus insignis. Itaque post patrem Pomeranorum princeps electus est. eam regionem ipse sua fortitudine contra hostium incursiones fortiter defendit, atque magnū nomen inter principes Germaniæ impetrauit. Cū autem eo tempore Pomerania idolorum cultu adhuc detineretur, Otto Episcopus Bambergensis eò profectus Euangeliū prædicauit, & hunc Vuartislaum cum fratribus Ratiboro, Suantipolco, & Bugislaio Christianos effecit, anno salutis nostræ 1115. Itaque Vuartislaus Iulinēsem Episcopatum fundauit, ac multis priuilegijs exornauit. id quod po-

stea eius nepos Vuartislaus Caminum trāstulit. Hoc modo Vuartislaus Christianus factus, Dei gloriam singulari pietate promouit, & suam ditionem pacificè gubernauit. Habuit is filios Bugislaum & Cazimirum, quos postea Fredericus Barbarossa primos Pomeraniæ duces creauit, anno 1181. Ut autem huius Vuartislai posteritatem, quæ etiamnum magna gloria in Germania superest, cognoscamus, eius genealogiam in tabula pro uirili proponemus.